

L'incendie de Rome, Suetone

(1) Sed nec populo aut moenibus patriae pepercit.

(2) Dicente quodam in sermone communi: "Emou thanontos gaia michtheto pyri" "Immo", inquit, "emou zontos," planeque ita fecit.

(3) Nam quasi offensus deformitate ueterum aedificorum et angustiis flexurisque uicorum, incendit urbem tam palam, ut plerique consulares cubicularios eius cum stappa taedaque in praediis suis deprehensos non attigerint, et quaedam horrea circum domum Auream, quorum spatium maxime desiderabat, ut bellicis machinis labefacta atque inflammata sint quod saxeо muro constructa erant.

(4) Per sex dies septemque noctes ea clade saeuitum est ad monumentorum bustorumque deuersoria plebe compulsa.

Voici la suite en latin, pour info :

(5) Tunc praeter immensum numerum insularum domus priscorum ducum arserunt hostilibus adhuc spoliis adornatae deorumque aedes ab regibus ac deinde Punicis et Gallicis bellis uotae dedicataeque, et quidquid uisendum atque memorabile ex antiquitate durauerat.

(6) Hoc incendium e turre Maecenatiana prospectans laetusque "flammarum", ut aiebat, "pulchritudine", Halosin Illyri in illo suo scaenico habitu decantauit.

(7) Ac ne non hinc quoque quantum posse praedae et manubiarium inuaderet, pollicitus cadauerum et ruderum gratuitam egestionem nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit; conlationibusque non receptis modo uerum et efflagitatis prouincias priuatorumque census prope exhausit.